



ORATIO

FVNEBRIS IOANNIS

BAPTISTAE ADRIANII,

DE LAVDIBVS ELEONORAE

TOLETANAE COSMI MEDICIS


Florent. & Senen. Ducis  
Vxoris.



Florentiæ apud L. Torrentinum.

M D LXIII.





fu  
an  
su  
ru  
es  
ne  
Et  
qu  
m  
co  
et  
lin  
ob  
m  
fic  
de  
es  
il  
de  
Et




*T* si ea est animi perturbatio summa, atque amplissima dignitate patres, honestissimi magistratus, praestantissimi ciues, ut quid in tanta acerbitate faciendum sit vix ipse discernere valeam. augetur tamen dolor loci huius admonitione. venit enim mihi in mentem illius diei: quo

summa mortalium celebritate in augustissimum hoc templum amplissimus Dux COSMVS, & ELEONORA illius suavissima coniux cum magna nobilissimarum, pulcherrimarumque matronarum pompa, ut matrimonij sacris rite interessent auspicato se contulerunt. ut enim tunc non modo homines, sed etiam isti parietes iucunditate quadam, ac letitia gestire, ita nunc ydem ob lugubrem hunc apparatus, & illius, quam tunc florentem viderunt imaginem hanc miserabilem maestitia, luctuque confici videntur. quo quidem aspectu, ac recordatione vix credibile est quantopere sim commotus. His etiam accedit, quod mihi optimi Principis nostri, & omnis illius honestissimae cohortis mæror, ac luctus quasi ante oculos obuersatur. qui quamuis summa sapientia sit, & maximo animi robore: vix tamen fieri posse existimo: quin graui dolore afficiatur: cum ea, qua cum suavissime semper vixit, & ex qua dulcissimos liberos suscepit: posthac sibi perpetuo carendum esse intelligat: praesertim acerbissimorum vulnerum, quibus illum proximis diebus nimis saeva fortuna percussit nondum obducta cicatrice. Vester praetera patres optimi lugubris conspectus dolorem nostrum: quem ex acerbissimo amplissima semi-

A. 15.



ne interitu suscepimus: vehementer cumulat. qui michi ut ante  
sempre multo iucundissimus esse consuevit, ita nunc idem  
multo acerbissimus accidit. Quid dicam de hoc apparatu? qui  
quem non moueat? quid de lacrimis, atq; hac tam misera af-  
flictatione, quam in nonnullis conspicio? quocumque enim ocu-  
los obuerti omnia dolorem, omnia maestitiam, omnia acerbita-  
tem significant. ut quamuis paucis his diebus: qui acerbissimum  
hunc casum secuti sunt me aliquantum collegerim; atque ex  
multo dolore: quo repentino mortis huius nuncio sum oppres-  
sus subleuauerim, id totum mihi nunc presentis mali specie ab-  
latum esse sentiam. acrius enim sodicant: quae per oculos ani-  
mis nostris imprimuntur, quam quae auribus, aut alio quouis  
sensu hauriuntur. Quo me igitur vertam? unde praesidium pe-  
tam? memoria languet; lingua haeret: corporis vires, ac la-  
tera dolore impediuntur. minime igitur vobis mirum videri vo-  
lo ciues optimi, si huic officio, ad quod vnus ego minime ido-  
neus delectus sum hodie minus satisfecero. praesertim cum de  
ea foemina sit agendum: quae nobilitate, pietate, humanitate,  
coniugio reliquas pene omnes foeminas longo interuallo supera-  
uit. cuius bonis non modo exornandis, sed etiam simpliciter re-  
ferendis aut maiori eloquentia, aut certe magis tranquilla men-  
te opus esset. Illud autem in tanta molestiaru turba me aliquan-  
tulum consolatur: quod huius mulieris virtutes & numero tot,  
& genere tales, atq; ita illustres fuerunt, ut nemini vel etiam  
indiserto deesse oratio possit; & quod, quae a me de illa dicentur  
omnium pene mortalium testimonio comprobantur. video enim  
quam plurimos, quibus haec: quae dicenda sunt memoriae haer-  
rent: ut nullum periculum esse possit: quod in his locis fieri so-  
let:



let: ne ame aliqua vlla de causa fingantur. ea enim, quæ mi-  
chi in ea laudanda occurrunt tam multa sunt, atque ita omni-  
bus testata, vt magis verendum sit, ne aliqua prætermittam,  
quam ne omnia hac oratione complectar. Quanquam mihi in  
animo est non singillatim omnia: quæ in illa laudabilia fuerunt  
consecrari. hoc enim multarum vigiliarum opus esset, non bre-  
uis huiusce spatij, quod mihi ad dicendum est datum. ea enim  
patres optimi tantum referam: quæ & dolorem hunc nostrum  
aliqua ex parte possint leuare: & memoriam huius lectissimæ  
fœminæ in aliquod tempus propagare. hoc enim huius loci, ac  
temporis proprium esse videtur. Utinam autem qualia illius  
vitæ ornamenta animo perspicio, talia in nostro hoc sermone  
appareant. quod si mihi deorum immortalium beneficio dum  
de ea ago contingat: huic muneri, ad quod ego delectus sum, et  
summæ pietati: qua illius memoriam prosequi debco fortasse  
satisfaciam: sin minus vos rogo, ne meam imprudentiã; quod  
huc valde perturbatus accesserim accusetis: sed aut in rei acer-  
bitatem, aut in eos, qui michi tantum oneris non bene exami-  
natis viribus imposuerunt culpam reiciatis. Sed dum breui,  
quæ michi in ea maxime laudanda videntur commemoro quæ  
so me diligenter attendite.

Cum multa sint: quæ vndiq̃ concurrunt ad huius præcla-  
rissimæ fœminæ laudes, tum in primis genus mihi sese offert:  
quod quidem & natione, & patria, & principum virorum no-  
bilitate, ac splendore insigne admodum est. Siquidem Hispa-  
nia vt omnibus compertum est antiqua memoria & rerum ge-  
starum magnitudine, & præclarissimis regnis, & militum co-  
pia, ac fortitudine, & continenti bellica laude, & aliarum



gentium imperio, & in primis christiana pietate clara admo-  
dum fuit; & presenti hac omnium aliarum nationum gloriam  
omni virtutum genere superavit. quæ suis regibus fortissimis,  
ac præstantissimis viris in pace ornamento, in bello semper præ-  
sidio fuit. cuius nationis viribus non solum suos fines summa  
cum dignitate semper illi tutati sunt: sed e Betica mauros per-  
petuos christianorū hostes patrū memoria armis victos, proflig-  
gatosq; expulerunt: & modo patria, atque avita regnorum iu-  
ra diuturno, ac laboriosissimo bello sunt consecuti. quæ nati-  
onem admirabili fortitudine, ac patiētia alteram terram ante hæc  
secula ignoratam opulentiissimam, atque auro refertissimam  
nostra hac vastissimo oceano diremptam, quasi alterum orbem  
longissima navigatione, atque antea inaudita inuentam, ac se-  
superatam suorum regum imperio adiecit. quod omnium quæ  
vnumquam homines viderunt, aut legerunt maxime admirabile  
est. In hac tam illustri, ac tam præstanti natione inter nobilis-  
simas eminet Toletana familia: ex qua hæc procreata est. quæ  
gens & patriæ claritate, & antiquitate, & imperijs, & opibus  
& rebus gestis, omnique virtute, & in suos reges singulari qua-  
dam observantia, ac potius pietate ceteris penè totius Hispaniæ  
principibus viris, ac regulis semper præposita est: ex qua com-  
plures pacis, & belli artibus insignes ex rerum memoria eruere  
possemus: quibus huius mulieris gloria cumularetur. illud  
autem non est omittendum: in grauiissimo bello, quod antiquis  
temporibus cum Aphris insensissimis christiano nomini hosti-  
bus ab Hispanis penè perpetuum gestum est: adeo egregiam  
huius maiorum fuisse virtutem, ut illis: cum maritimo prælio  
hæstes profligassent. ut victoria monumentis gentilicia insignia im-

decorarent publice permissum sit. omittā, paucis ab hinc annis  
in graui ac periculoso bello, quod maximus Imperator Carolus  
V. cum Germanis in Germania gessit quæ & quāta, & quam  
egregia fuerit virtus Ferdinandi Toletani Albæ Ducis huic  
nostræ arctā affinitate coniuncti in uigilando, in prouidendo,  
in periculis occurrendo, in his demum omnibus procurandis,  
quæ in magno exercitu, & multis nationibus conflato, seuis-  
simis anni tempestatibus, acerrimis hostibus, ac semper immi-  
nentibus curare necesse fuit, de cuius laudibus non est locus, ut  
plura in præsentī dicantur. illud tantum addam confecto bello  
ita illius operam, consilium, industriam, fortitudinem iudicio  
Cæsaris fuisse probatam: nihil ut maximarum rerum esse pos-  
set: quod non illi recte committendum censeret; & ut de sua  
deuictis hostibus gloria aliquid gloriæ auidus imperator detra-  
hi libenter sit passus, ut eximia victoriæ laude fortissimum vi-  
rum impertiret. verum hæc fortasse alicui remotiora videri  
possint, præsertim cum nō desint alia ac præclara quidem eiu-  
sdem familie ornamenta: quæ propius hanc nostram attingant.  
siquidem patre nata illa est Petro Toletano: quem succe-  
genti summum decus attulisse constat. qui cum suis regibus in  
pace, in bello, domi, ac foris ægregiam operam maximis rebus  
gerendis summa cum fide, ac dignitate præstasset, quod hone-  
stissimum illi fuit, ac multæ prudentiæ, vereque regij animi ar-  
gumentum a Carolo V. summo Imperatore, & in uiris probā-  
dis acerrimo regnum Neapolitanum regendum, gubernan-  
dumque accepit: ut regia munera omnia solus sustineret: re-  
giam dignitatem, insignia, arces, atque opes regias cum regio  
imperio obtineret. cuius administratione vix credibile est quā-  
topere





roperere cum dignitas, tum vires illius regni auctæ sint. & quam plurimis mortalibus salus donata. Cum enim graui, ac diuturno bello regnum illud opulentum magna ex parte attritum esset: animique principum virorum, ac potentium varijs factionibus distracti secum omnia distraherent: ac omnes penè prouinciae latrocinijs, rapinisq; infestæ essent: nullibi æquitati, aut iustitiæ, aut innocentia, aut fidei locus esset: is summa sapientia præditus legibus ita, atque armis regnum illud ornauit: ut quæ antea prouinciae quibusuis hostibus ad iniuriam exposita erant proprijs copijs, cum equestribus, tum pedestribus non solum sibi præsidio, sed amicis, fœderatisque auxilio, hostibus formidini essent. quibus deinde ingentes, atque ornatissimæ Turcharum classes sæpe reiectæ sunt, & paucis abhinc annis magnus Gallorū impetus in ipsis regni finibus elusus, ac repulsus. Nam qui omnia sibi antea licere in eo regno existimabant potentissimi homines, ac reguli summa eiusdem viri auctoritate, ac virtutum admiratione & in officio ipsi manserunt, & suas prouincias nocentissimis hominibus, ac latronibus perpurgarunt, illiusque exemplo fidem, æquitatem, innocentiam præstare didicerunt. Talem igitur illa patrem, ac maximis animi bonis instructum, veraque gloria fulgentem habuit: matrem vero Mariam Osoriam ex eadem natione, nobilitate, & generis antiquitate, & opibus adeo illustrem, quæ honestissimæ Toletanorum familia non mediocri decus adiunxit. quandoquidem Petrum Toletanum; quem illa sibi coniugem adsciuerat Villa Franchæ regno auxit: & honestissimo titulo insigniuit. quæ nunc Federicus filiorum maximus summa cum dignitate iure hereditario, obtinet. Ex ijs igitur parentibus, atque ita & genere

genere, & virtute præclaris illa procreata est. quæ in extrema  
pueritia admirabile omnium muliebrium virtutum specimen  
dedit: ut ex teneriori illius nidole iam tum facile omnes con-  
iicerent qualis si ætate processisset futura esset. nihii enim in illa  
humile, nichil vulgare, nichil eiusdem ætatis virginibus com-  
mune, ac peruagatum fuit: omnis actio, sermo, species, vul-  
tus, oculi dignitatem quandam, ac maiestatem secum ferebãt:  
ut qualem multos annos experti sumus, & nunc desideramus,  
talis iam tum futura esse videretur. cuius iam adultioris, ac pe-  
nè nobilis virtus, ac pulchritudo cum omnes Europæ prouincias  
peruagata esset; clarissimi principis nostri paulo ante ad opu-  
lentissimæ & florentissimæ ciuitatis principatum merito euecti  
animum ita incendit: ut cum in manu illius esset nobilissimorũ,  
& potentissimorum principum filias maximis propositis condi-  
tionibus vxores ducere hanc cæteris omnibus libet animo præ-  
posuerit. cuius quidem consilij numquam sapientissimũ virum  
pœnituit: tales fuerunt venustissimæ virginis, ac pudentissimæ  
mores, humanitas, pulchritudo, fœcunditas, amor, & in omni-  
bus rebus, quæ illam fortunam decent curandis incredibile stu-  
dium ac diligentia. Vix enim optimi patres credibile est, quã  
breui non solum regiarum, atq; amplissimarum adium procu-  
rationem: sed totius ciuitatis ac regni; quod multiplici iure,  
ac vario hominum genere est rationem didicerit: ut ad omnem  
amplitudinem, ac regiam maiestatem diuinitus facta fuisse vi-  
deretur. quamquã hæc illa tantum semper attigit, quantum  
amplissimi viri dignitatem suis egregijs factis auctum iri puta-  
uit. id enim semper illa sapientissime cogitauit nullam fœmina-  
rum laudem esse ea honestiorem, quæ ex uiri laudibus in ipsas



quoq; uxores redundaret. quod consilium ita illius animo a pri-  
mis matrimonij diebus infixum est, ut nichil unquam aliud me-  
ditata sit, huic toto animo inservierit; ad illud semper se compa-  
rauerit; in hoc omnes suos conatus intenderit. ex quo factum  
est ut summa concordia res domestica, ac publica tractaren-  
tur, & sua vita omnibus seruarentur: nec quisquam ex illius  
aut huius obsequio sibi aliquid praeter aequum licere existima-  
rit. Haec autem quamuis omnibus uobis satis testata sint mul-  
to tamen magis rebus ipsis confirmantur. quae etenim natio?  
quae hominum condicio? quod officium? quod promeritum cui-  
usuis fuit? cui aliquid praeter aequum indultum sit? haec nimi-  
rum causa illa fuit, ut omnes ubiq; officium praestarent, nec vl-  
la ab aliquo cuiquam inferretur iniuria. Nolim autem uobis haec  
communia, aut vulgata videri. est enim magnae sapientiae fae-  
minam in tanta fortuna, in tanto humanissimi viri obsequio,  
in magna astutorum hominum, suasque utilitates undique ca-  
ptantium copia, tali in omnibus moderatione usam esse. Iam ve-  
ro qua comitate excipere eos consuerit, quos publicis negocijs  
vir praeficeret, quos iuri dicendo, quos legationibus, quos rei mi-  
litari, quos quaestorijs muneribus, quos reliquis reip. partibus;  
quae tam multae, ac tam variae sunt: quam apte singulos appel-  
lauerit; quanto honore prosecuta sit; quibus verbis ut fidem, di-  
ligentiam, officium praestarent hortata sit quid opus est percen-  
sere? quid opus est referre? nouistes omnes; vidistis; experti es-  
tis; aut certe aliquando audiistis. nemo e nostris unquam ad  
illam aut officij, aut negociorum, aut opis causa accessit, quin  
ab illa aut verbis ornatus, aut consilio adiutus, aut aliqua ra-  
tione subleuatus abierit. Exterarum vero gentium legatis, ac  
princi-

principibus viris, qui ad illam honoris causa accedebant talem  
semper in omni sermone, atque humanitatis genere sese exhibi-  
buit, ut hanc omnium feminam præstantissimam esse intelligerent,  
& vero tanta fortuna dignam: virumq; illius beatissimum præ-  
dicarent: qui ea perpetuo fruere tur: cuius suauitate, ac lepore  
se tantopere vno sermone oblectatos sentirent. Et sanè admi-  
rabilis quaedam in ea fuit dicam ne a natura, an a studio, an po-  
tius ab utroq; in omni sermone grauitate temperata comitas.  
nec quod plerisque commune est ad speciem tantum, aut de per-  
uagatis rebus ab illa sermones inducebantur: sed eorū quæ vix  
peritissimi viri, & in plurimis rebus diu, multumq; versati te-  
nerent omnium rationem callebat. nulla itaq; hominū cōdicio,  
nullus sexus fuit; cui illa plene in omnibus nō satisfecerit. Non  
verebor dicere, quod multis compertū esse scio, in his, quæ prin-  
ceps noster in gerenda rep. sapientissime fecit: eam tibi sæpe so-  
ciam adiunxisse: tantū in illius iudicio, ac sapientia ponendū  
esse semper censuit. ac durissimis quidem illis temporibus: cum  
prouincia nostra hæc grauissimo bello flagraret, & in summo  
periculo principis, & communis omnium salus versaretur eam  
viro maximo fuisse adiumento ad negocia sustinenda, suaq; cu-  
ra illius curas sæpe leuasse, ac de omnium salute sollicitā sem-  
per excubasse, nec animo vnquā humili, aut abiecto fuisse. Ma-  
gnam certe vim habet ad omnē dignitatem e nobili aliqua stir-  
pe esse procreatum. Sed si huiuscemodi naturæ præstantissimis  
disciplinis, ac moribus rationibus excolantur, mirum quā bre-  
ui tempore quos fructus, quam suaues, quam generosos ferant.  
quamnis enim hæc propria sint illius: quam merito hodie lauda-  
mus: huius tamen laudis in partem vocari volumus amplissimū

virum : cuius illa præceptis , atq; exemplis ad omnem excellē-  
tiam est informata . atq; hoc illa non modo non repugnante , sed  
libentissime etiam annuente facere possumus . quod enim ita illa  
suum vnquā esse putauit , cuius dulcissimum virum voluerit esse  
expertem ? quin potius quidquid ingenio , quidquid studio , quid  
quid gloriosis laboribus consequi poterat , id totum in illius digni-  
tatem gratissimo animo effundabat ; ex illo pendebat : quicquid  
esset , quidquid valeret : illi semper acceptum referebat : vnum  
intueri ; vnum admirari ; de solo cogitare ; cetera pro nichilo  
habere . quibus rebus effectum est , vt tanto animi affectu sibi  
virum deuinxerit , vt totidem illi non modo rependerit , sed vl-  
tra aliquid etiam sua sponte semper addiderit . Atq; ita ex mu-  
tua hac caritate , atq; admirabili animorum coniunctione non  
solum ipsi fructum maximum consequabantur ; quibus suauia  
suauiora vt essent : amara vt dulcedine quadam condirentur  
fiebat : sed vt iisdem etiā bonis ipsi nos aliquo modo frueremur .  
non est opus referre me , quantum communis commodi intersit  
tali animo principes viros in ciuitatibus esse : quibus regendo-  
rum populorum cura commissa sit . hoc dixisse sit satis nichil  
fuisse hoc ætate : quod perinde omnes admirarentur : nec quod  
magis prædicaretur : ac maioribus laudibus efferrēt ; ac Cosmi  
Ducis , & Eleonoræ coniugis animos aptima coniugij die , vsq;  
ad extremam mutuo amore ita fuisse deuinctos : vt nullius vn-  
quam non modo simultatis , sed ne etiam alienioris animi vesti-  
gium apparuerit . Non puto hæc alicui leuiora visum iri , qui  
aliorum potentium hominum mores secum animo reputauerit :  
quos plerumq; non modo vulgariū rerum , ac communium ,  
sed etiam excellentium facietas capit . quotus enim quisque est

non

non dicam principum virorum, ac fortunatorum, sed nostræ, hoc est communionis etiam conditionis, quin aliquando rebus suis domesticis fastidierit? quo magis illorum verumq; semper admiremur necesse est. Verumtamen hæc: quæ communia utriq; sunt omittantur: propria autem huius, quæ plurima sunt, atq; eximia persequamur. in quibus quæ pleriq; suspiciunt: quæq; maxime eminent: fortunæ bona habentur. quæ quamuis nostræ opera plerumq; non comparentur: magnam tamen ad omnem virtutis usum vim habent. ex quo factum esse crediderim, ut sapientes homines bonorum nomine hæc etiam appellanda censuerint: quæ quamuis in hac fœmina amplissima, & maxima fuerint, ipsa tamen, ut suis virtutibus illustriora viderentur perfecit. sunt autem hæc generis nobilitas, imperium, opes, omnium bonorum copia, liberi numero plures, ac omnium pulcherrimi, cæteraq; huius generis per plura: quibus illa ita usa est: ut nec commodius quisquã, nec sapientius ex certa aliqua scientia uti posset: & ut ipsa fortunæ potius, quã illi fortuna fuisse ornamento videretur. quod nisi postremam hæc vitæ partem sua temeritate duorum honestissimorum, pulcherrimarumq; adolescentium, et paulo ante totidem filiarum morte deformasset: quam tamen calamitatem fortissimo animo illa tulit, in fortunatissimis, ac sapientissimis fœmininis numerari posset. Paria in eadem fuerunt; quibus largissime illam natura munerata est, corporis bona proceritas, venustas, fœcunditas, firma valetudo, formæ dignitas, cæteraq; his similia: quæ omnia ita in illa fuerunt præclara, ut raro in alia quisquã paria aut legisse, aut vidisse meminerit: quæ quamuis illius bonis cumulũ addant, malum tamen in his referendis morari: quæ illius magis propria esse videntur. de his illud dixisse sit satis: ita his esse usam, ut numquã plus in illis posuerit quam oportuerit: sed ex his naturæ benigni-

*ratem in se agnouerit: ut deo illius auctori gratias semper habue-  
rit, & se illis dignam omniratione præstiterit; & suis virtutibus  
ut nobiliora viderentur curauerit. Sequitur ut aliqua a nobis di-  
cantur eorum, quæ nostro studio consuetudineq; ad vitam bene,  
integreq; ducendam comparari solent. quæ in hac egregia sæmi-  
na magis apto, quam communi virtutum nomine appellari debe-  
rent. hæc enim ita illius animo impressa, ita infixæ fuerunt, ut di-  
uinam naturam magis, quam humanam voluntatem, aut consue-  
tudinem referre viderentur. inter quæ principem locum merito  
obtinet vera in deum pietas: quam illa ita sancte ita pure, ita ca-  
ste semper venerata est, ut omnes suos actus, vitamq; omnem ad il-  
lam tanquã ad scopum direxerit. cuius rei testes esse possunt pro-  
batissimi quiq; sacerdotes, ac veræ religionis consultissimi: quo-  
rum illa consilio vsa religiose semper cauit, nequid contra verum  
dei cultum committeret: testis eiusdem vita semper ex ritu san-  
ctissimæ religionis vsq; ad extremum spiritum perducta: testes  
castæ, ac deo dicatæ innumeræ virgines, quæ illius liberalitate in  
maximis annonæ angustijs multis locis, ac temporibus subleua-  
tæ sunt, et plurimis commodis auctæ. hoc autem ita illi proprium  
fuit, ut non modo in hac vrbe, sed in plurimis huius regni oppidis  
certos homines habuerit: qui hoc ipsum illius nomine eiusdem loci  
virginibus, ac quibusuis probatæ uitæ tenuioribus, ac mendicis  
curauerint. Non omittam quod plerisq; optimis viris compertum  
esse scio: adeo huius mulieris deo optimo, alijsq; diuis caram fuisse  
sanctitatem, ut pleraq; eorum: quæ votis ab illis perierit facile  
impetrarit. quorum illud certissimum est: quod in eo, cuius illa &  
vir pari pietate præditus maximo desiderio tenebantur, & in  
quo ad remp. cõstituendam magnum erat momentũ eos benignos  
admodum, facileq; experta est. cum enim primo partu fæminã*

*pepe-*

peperisset: virilisq; prolis percupida esset: quæ regno, ac tantis opibus succederet: id a deo, diuisq; precibus, ac votis implorandum censuit. atq; hoc consilio cum viro eadem cupiditate ardeni ad loca illa accessu præcelsa, atq; aspera: quibus in locis postremo tēpore diuus Franciscus sanctissime ac dure admodum vixit. quæ sanctitate, ac religione, & illius diui numine maxime celebrantur. quo cum peruenisset deum optimum maximum diuūq; Franciscum persancte venerata vota facit, si sibi filium marem dent nomine illius diui, cuius in fano esset nuncupaturam. rem mirabilem, ac penitus diuinam, vix illa preces ore profuderat. vix vota fecerat; cum se grauidam esse primum sensit: optimamq; spē concepit fore illud, quod maxime optarat: quod deinde rei exitus cōprobauit. maturo enim tempore marem genuit, ac Frānciscum, quod uouerat appellari voluit. vt quoties filium dulcissimum uideret: nomenq; illius audiret: toties diuini illius beneficij memor esset: quem vt diuino numine procreatum credimus; ita ydem diui: qui dederūt, nobis semper fœlicem, ac diu superstitem esse velint: vt hoc vno saltem danna nobilissimæ stirpis: quibus hoc anno regie ædes miserabiliter comminutæ sunt reparentur. Multa de hac diuina virtute a nobis dici possent: quæ libeter omittimus. ne inde laudem illi comparemus: vnde illa dum vixit non modo laudem nullam non quæsiuit, sed quantum potuit omnium mortalium conscientiam declinauit. Hæc deinceps sequitur castitas: pulcherrimum fœminarum ornamentum: quam illa in omni vita ita pudice, integreq; seruauit, vt nō solum factō aliquo minus puro, sed ne verbo etiam, aut gestu, aut alia significatione vlla vniquam violarit. neq; solum in hoc sibi, suæq; famæ consuluit: sed earum etiam omnium: quas domi multas, ac nobiles uirgines egregia formæ dignitate in summo honore semper aluit. quarum nullus vn-



quam minus commoda suspicio emanauit: quod ipsum rarum an-  
diu admodum est. scimus enim plerisque in aulis quam liberi so-  
leant esse huius loci foeminarum sermones, lusus, ioci, amores, at-  
que in omni genere remissior quaedam vitae degendae ratio, atque  
institutio. apud nostram hac nichil tale: multa seueritas, nulla iner-  
tia, summum operum studium, labor, industria, mundicia in o-  
mnibus, mediocris formae cultus, & illa demum omnia; quae in  
honestis domibus, atque antiquioris disciplinae seueriores matres  
familias seruare consueuerunt. Nam quali in filias fuerit, quam  
accurata disciplina quid opus est referre me? utinam diu immor-  
tales fecissent, ut illarum duae nobis diu superstites fuissent: profe-  
cto excellentis ac vere regum moris in foeminis exempla non requi-  
reremus. hac autem una e rebus reliqua: quae misera praeter opti-  
mae matris desiderio tantopere nunc afflictaur quid potest esse in  
omni foeminarum laude praeclearius? quod specimen castitatis, in-  
nocentiae, pietatis, mansuetudinis, ac omnium reliquarum virtu-  
tum inueniri potest illustrius? hoc nimirum studio factum est, ut  
non solum quae ex illius intimis adibus virgines locarentur tales  
essent, quales pudicas foeminas esse oportet: sed nostrae etiam ex  
quadam cum illis emulatione laudabili similes se praestarent: &  
quasi bonis artibus concertarent. quod ipsum dici vix potest quan-  
tum ciuitatis nostrae moribus profuerit. id enim quod sapientissi-  
mi homines tradiderunt verum esse putandum est ex principum  
moribus reliquorum ciuium mores fingi. huic autem praestantissi-  
mae virtuti multae aliae comites, atque adhaerentes se addiderunt vir-  
tutes. hanc enim in nobili foemina post pietatem principem locum  
obtinere aequum est: huic reliquas ancillari. nam ubi haec vacil-  
lat, aliarum lumen facile obscuratur. Ex quarum choro michi  
etiam occurrit eximia quaedam humanitas, atque in calamitosos

mise-

miseri cordia quia illa miserōs reos, iudicijs conuictos, pœnis addi-  
ctos magno numero subleuauit, illis veniã impetrans, hos prostra-  
tos erigens, vinc̄tos soluens, miroq; in virum obsequio quam pluri-  
mos seruans. nullum iam miseris certius erat per fugium: illa ex-  
cipiebat, fouebat, neminem dimittebat: quem non aut re, aut con-  
silio. aut ope iuuaret. O clementiam singularem: o fœminam vita  
perpetua dignam: quod auxilium, quam aram, quem portũ nunc  
habebunt miseri: quo maximis iactati tempestatibus confugiãt?  
quem sibi nunc in summa iudiciorum, ac legum seueritate patro-  
num, aut deprecatores parabunt? sed hæc satis iam luximus:  
pergamus ad reliqua. Quid ergo in hac liberalitatem, aut magni-  
ficentiam? quid modestiam? quid prudentiam? quid animi ma-  
gnitudinem commemorem? quæ virtutes quamuis virorum po-  
tius quam fœminarum esse videãtur: præcipua tamen in hac no-  
stra fuerunt. Profecto nunquam exitum reperiat oratio: si velim  
singillatim referre quot modis in suos, in alienos, in ciues, in ex-  
teros benefica fuerit, quam decenter apud bonos viros beneficia  
collocarit: ac præsertim apud suæ nationis homines: quos illa  
semper vt æquum erat summa benignitate cõplexa est egregios  
quippe viros, cum bellica laude, tum rerum maximarum vsu præ-  
claros. Nam gentiles suos nobilitate præstantes omni officij gene-  
re semper ita prosecuta est, ita de illis merita, vt et illam semper  
merito coluerint, suæq; familiæ columen appellauerint, & nunc  
mortuæ memoriæ magno desiderio colant: ac perpetuo si grati,  
si memores esse voluerint culturi sint. Sed quid ego in his motor?  
quod cuiusuis in illam officium vnquam fuit? quod promeritum?  
quis cultus? quod obsequium? cui non sit amplissime merces tri-  
buta? Declarant illius iam morientis testamenti tabulæ: quibus  
et suæ nationis, ac nostræ honestissimas virgines, ac reliquas cuius

uis loci mulieres, virosq; : quibus illa sedulo utebatur largissime munerata est : quibusq; in omnem vitam de suis bonis satis prodignitate prospexit. Quid dicam de temperantia eiusdem, ac summa animi equitate? quod in tanta fortuna vix credibile est. hanc nemo vnquam aut secundis rebus elatam, aut aduersis demissam vidit: sed semper eodem animo, atq; eodem vultu cum sciuientem pati, tum blandientem excipere fortunam: quod est æqui animi, ac maxime moderati iudiciū. Quid dicam de illa prudentiæ parte, quæ omnium recte factorum, ac dictorum est norma? quæque ut omnia decore fiant, reliquæ omnes virtutes diriguntur: quæ tanta in hac sæmina fuit, ut nullus vnquam egregius artifex in aliquo suo opere decenter perficiendo tam perspicaci fuerit iudicio, ut hac in omni vita quod suam personam deceret, ac dignitatem optime cognouit: atq; perfecit. ut non haberi debeat ineptus, si quis de hac sæmina affirmarit talem in omni vita semper illam se præstitisse ut inde omnium muliebrium virtutum exempla ab illustribus sæminis capi debeant. Sed quoniam inter ceteras virtutes magnitudo animi præcipue celebratur: quæ periculis obeundis, rebusq; aduersis æquo animo tolerandis spectatur: quod in fœminis vix locum habere videtur: quæ sua ut molli corpore sunt, atq; animo imbecillo: in hac tamen est vnde illam merito laudemus. nec solum cum vogeto, valentiq; corpore fuit: cum tot liberos enixa est: quod muliebrium laborum longe maximum, atque adeo periculosum est. quo loco cum esset nõ facile dici potest quã fortiter grauisimos partus dolores sustinuerit: & quam viriliter pericula illa subierit: sed hac etiam postrema vita parte cum diuturno, ac grauisimo morbo laboraret: videret certo breui fore, ut dulcissimum virum suiq; desiderio mærentem relinqueret: relinqueret tot opes, tot commoda, tantã dignitatem, dulcissimos  
liberos

liberos, lucem deniq; hæc suauissimum; ceteraq; per plura: quæ  
vitam hanc nostram beatam efficiunt. his tamen omnibus nun-  
quam naturam, cui vim morbi accusauit, nunquam aduentan-  
tem mortem, ac imminetem extimuit. quin potius placido vultu,  
verbisq; constantibus; mæstissimum virum hortata est filiorum  
mortem, ac suam, & quidquid nature necessitas, aut casus fer-  
ret æquo animo pateretur: se enim, atq; illos mortales esse pro-  
creatos: nec quemquam natum hanc vim ullis condicionibus eui-  
tare potuisse. quod reliquum erat id sapienter, & ut suam perso-  
nam decebat curaret: ac sui memoriam perpetuo retineret. qui-  
bus dictis, ac sacris his: quæ illius temporis sunt perfuncta placi-  
de, ac nunquam mutato vultu decessit. quid huic ad animi forti-  
tudinem deesse dicemus? ubi magis hæc quam in his locis specta-  
tur? quem virum huic fœminæ comparabimus? profecto si id,  
quod antiquissimi viri sanctioris quidem religionis ignari, huma-  
na tamen sapientia clari: & quod posterioribus temporibus ex  
certa doctrina christiani homines pietate, ac integritate vitæ spe-  
ctati tradidere humanis virtutibus, ac bene, sancteq; viuendo vi-  
ta æterna comparatur: quod nullo modo in dubium vocari debet:  
certo hanc nostram & optima quidem condicione vitam illam  
beatissimum, ac sempiternam esse adeptam credere debemus; at-  
que hæc caduca, fluxaq; sempiternis illis bonis, ac nunquam in-  
tercidetibus commutasse. Quapropter optimi ciues illius quidem  
causa non est cur diutius doleamus: ne illius bonis magis quã no-  
stris malis angi videamur. quæ viuēs maximis, ac præclarissimis  
animi dotibus fulta, nature fortunæq; commodis ornata, vitæ  
muneribus decenter ac pro dignitate functa & humanam gloriã  
uiuens consecuta est: & nunc nobis quidem mortua, sibi vero vi-  
uēs diuinis ac semper futuris bonis perpenni æuo fruetur. Nobis,  
nobis

nobis est inquã tanto bono orbatis vnde perpetuo lugeamus. Cuius  
quidem mali nos aliquam consolationem tentare oporteret: hoc e-  
nim ame fortasse iure postuletur, res ardua, atq; adeo difficilis.  
quo enim maiorem illius virtutem hac oratione fuisse ostendimus  
eo durior nobis harum partium condicio nunc proponitur. Sed ta-  
men illud sapientis est cogitare nihil esse humanis in rebus: quod  
vno, eodemq; statu diutius permanere possit: beneq; cum illis a-  
ctum, quibus in vita plus boni, quam mali obuenerit. huic enim  
certe, cuius morte nunc tantopere dolemus: si e presenti hoc nau-  
fragio enatasset, paulo post tamen eadem fortuna fuit subeunda.  
Quocirca ciues optimi mœrorum hunc vestrum lenite: atq; hanc  
calamitatem æquiori animo tolerare: in virumq; illius, optimum  
ac fortissimo principem inspicite: qui quamuis scvissimæ fortune  
ictibus sæpe petitus sit heroica tamen virtute tectus omnes illius  
iniurias facile repellit: omnibusq; exemplo est muutum pectus sa-  
pientia, & si paulum aliquando humanitus tenetur, nulla in ta-  
men labefactatari posse. illum igitur, si tantum contendere possu-  
mus imitemur: putemusque nihil esse, quod mortalibus accidere  
possit, quod non æquo animo ferri oporteat. Huius autem nostræ:  
cuius funus presens vestra, vt equũ fuit decorauistis: cuiusq;  
laudes pro tenuitate ingenij mei aliqua ex parte persecutus sum  
memoriam animis nostris semper retineamus: cogitemusq; hoc  
illi multo carius futurum: cum multo verius viuat nunc, quam  
cum antea hic nobiscum vivebat: cumq; e cælo etiam nos spectet:  
si in animis nostris perpetuo etiam viuat: hoc inquã illi multo  
carius futurum: quam si illius a nobis discessum mœrore, luctu  
ac lacrimis sempiterno tempore prosequamur. **DIXI.**

**F I N I S.**

5  
a  
d  
-  
m  
16  
t.  
10  
m  
e  
15  
16  
a  
-  
e  
:  
7;  
m  
10  
m  
11:  
10  
14

